



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtru[m] totus Christus sit sub vtraque specie sacramenti? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38725**

*Utrum totus Christus contineatur sub utraque specie huius sacramenti?*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod non sub utraque specie huius sacramenti totus Christus contineatur. Hoc enim sacramentum ad salutem fidelium ordinatur, non virtute specierum, sed virtute eius, quod sub speciebus continetur: quia species erant etiam ante consecrationem, ex qua est virtus huius sacramenti. Si ergo nihil continetur sub vna specie, quod non contineatur sub alia, sed totus Christus continetur sub utraque: videtur, quod altera illarum superfluat in hoc sacramento.

449  
infr. q. 78  
a. 6. ad 2  
q. 79.  
a. 1. ad 3.  
q. 80.  
ar. 12. ad  
3. et 4. d.  
11. q. 2. a.  
1. q. 1. ad  
2. et 10. 6  
le 7. co. 2.  
et 1. Cor.  
11. le. 6.  
co. 2.  
art. prac.  
libr. 3. de  
gen. ani.  
cap. 2. 50.  
4.

¶ 2 Præterea, dictum est quod sub nomine carnis omnes alia partes corporis continentur: sicut ossa, nervi, & alia huiusmodi. Sed sanguis est vna partium humani corporis: sicut patet per Arif. in lib. \* de ani. Si ergo sanguis Christi continetur sub specie panis, sicut continentur ibi alia partes corporis, non deberet seorsum sanguis consecrari, sicut neque seorsum consecratur aliqua alia pars corporis.

¶ 3 Præterea, quod iam factum est, iterum fieri non potest. Sed corpus Christi iam incepit esse in hoc sacramento per consecrationem panis. Ergo non potest esse, quod de nouo incipiat esse per consecrationem vini. Et ita sub specie vini non continebitur corpus Christi, & per consequens, nec totus Christus. Non ergo sub utraque specie totus Christus continetur.

SED contra est, quod 1. Cor. 11. super illud, Et calicem, dicit \* glos. quod sub utraque specie, scilicet panis, & vini idem sumitur. Et ita videtur sub utraque specie totus Christus esse.

glos. ord.  
sup. illud  
Accipite  
q. man-  
ducate.

RESPONDEO dicendum, certissime tenendum esse, quod sub utraq. specie sacramenti, totus est Christus, aliter tamen & aliter. Nam sub speciebus panis est quidem corpus Christi ex vi sacramenti; sanguis autem, ex reali concomitantia; sicut supra dictum est de anima & diuinitate Christi \*. Sub speciebus vero vini,

ar. prat.  
ad 1.

T 4 est

est quidem sanguis Christi ex vi sacramenti: corpus autem Christi ex reali concomitantia; sicut anima & diuinitas: eo quòd nunc sanguis Christi non est ab eius corpore separatus, sicut fuit tempore passionis & mortis. Vnde si tunc fuisset hoc sacramentum celebratum sub speciebus panis, fuisset corpus Christi sine sanguine; & sub speciebus vini, sanguis sine corpore, sicut erat in rei veritate.

Ad primum ergo dicendum, quòd quamuis totus Christus sit sub vtraque specie, non tamen frustra. Nam primo quidem hoc valet ad representandam passionem Christi, in qua seorsum fuit sanguis à corpore separatus: vnde & in forma consecrationis sanguinis fit mentio de eius effusione. Secundo, hoc est conueniens vsui huius sacramenti, vt seorsum exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, & sanguis in potum. Tertio, quantum ad effectum, secundum quod supra dictum est\*, quòd corpus exhibetur pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ.

Ad secundum dicendum, quòd in passione Christi (cuius hoc sacramentum est memoriale) non fuerunt aliæ partes corporis abinuicem separate, sicut sanguinis; sed corpus indissolutum permansit: secundum quod legitur Exod. 12. Nec os illius confringetis. Et ideo in hoc sacramento seorsum consecratur sanguis à corpore; non autem aliqua alia pars ab alia.

Ad tertium dicendum, quòd sicut dictum\* est, corpus Christi non est sub specie vini ex vi sacramenti, sed ex reali concomitantia. Et ideo per consecrationem vini, non fit ibi corpus Christi per se, sed concomitanter.

## ARTIC. III.

*Vtrum sit totus Christus sub qualibet parte Specierum panis vel vini?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd non sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis vel vini. Species enim illæ diuidi possunt in infinitum. Si ergo Christus totus est sub qualibet parte spe-

quæst. 74.  
art. 1.

in corpo-  
re art.

450

4. d. 10. a.

3. q. 3. c.

d. 12. q. 1.

ar. 3. q. 2.

ad 3. c.

4. text. c.

67. c.

quoli. 4.

q. d. c. su.